



einmal verzehlt 4. III. 1915

Siffert. theol. Vol. 35

~~III~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CLIXCCCXIII.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

23

24.

HENNINGUS
BERNHARDUS

Bitter!

AD D. GEORGII IN PATRIA
PASTOR,
Secundum

S. D. P.

JOH. HERMANN O

AB

ELSWICH,

CENSURÆ SUÆ SUPERÆ
ET PROLETARIÆ ET
FACETÆ

APOLOGETÆ DENUO FACETO!

HILDESIE, TYPIS GEISMARIANIS clō lō cciii.





INFAMIA, bone vir, dira & execrabilis ista
 vox Tua erat, quâ prioris differrationis fron-
 tispicium sædè conspurcabas, simulac no-
 men Tuum ex sorte calumniatorum turpi-
 ter *infamabas*. Crudelis reputari potuissem,
 si *famam* neglexissem, propter innoxias quas-
 dam & adiaphoras hypotheses citra ullum
vel lenitatis, vel modestia, vel mansuetudinis, quinimo sensus com-
 munitatis vestigium, horrendo & inaudito ferè exemplo, propu-
 dioso istòc omniumque, quæ norunt mortales, teterrimo no-
 mine ac Theonino dente arrosam. Ad exemplar igitur *supremi*
Pastoris (inconsideratæ Judæorum calumniæ regerentis: *וּמַיִס*
אִיפֶאֶזֶלֶס מֵי יוֹב. 112. 49. Vos estis diffamatores mei) quod Temet *in-*
famiam malevole & vesanè crepantem *diffamatorem* divulgave-
 rim, præterea criminationes Tuas criminationes, ignoran-
 tiam ignorantiam, calumnias calumnias, verbo, scapham sca-
 pham dixerim, è disciplinæ nostræ nupero sensu barde qui-
 dem stupes, misere deploras, jussit vero conscientia, impera-
 vit famæ studium, & docuit officium. Vel propterea tamen
 singulariter mihi perplaces, Vir Clarissime, quod nefandam il-
 lam vocem, etiam si severè & condignè, ceu par erat, non sine
 quadam maculâ Tuâ, notatam ac castigatam pœnitentiæ, ut
 autumo, & conscientia æquioribus quibusdam stimulis ductus
 modo prorsus reticueris, atque sic pro non dictâ nec scriptâ, quæ
 vis silentii in rebus gravioribus est, temet habere declaraveris.
 Haud difficulter, credas, vel tuli hætenus, vel modò fero pe-
 tulantiam Tuam, impotentiam, *criminationem, cavillationem*
 denique quamvis: exulet modo scabra Tua & Philosopho, nedum
Theo

Theologia (qualem Te profiteris) *Candidato* indigna de *infamia* (quæ gratis propinata, ut nosti, in autorem redundat) loquela. Et utinam solam hanc voculam primæ Tuæ plagulæ ignorassent, nec Tibi eas invidissim, nec, utpote commentationis nostræ argumentum neque atinentes, neque stringentes profusus tetigissim! Utinam *causæ bonitate* magis quam *dictis & convitiis* memet superare contendisses, & genii Tui virulentiam, quam *infame* scribendi genus ubivis misere prodit, ut omninò nomen tuum orbis literatus ignorasset, & ipse famam sartam rectam custodiisses! Mihi sufficit, quod licentiam hanc, quam in memet statueras, effrenam ex condigno castigaverim, atq; fidem testor non Tuam, Elfwiche, quæ ubivis nulla, sed vestram *Lectores candidi, Censores æqui*, ut definiatis, uter alterum, sive apologeta noster, quod petulantia suæ præmiū indignè ferat; sive ego, quod adversarium non provocatum, sed gratis in scenam proficientem, & infamiae bruta anathemata evomentem *diffamatorem* dixerim, & adhuc dicam, jure merito *ve criminationum ac calumniarum* postulare valeat? Quinimo definiat ipse Theologus Tuus, quem laudas, anonymus, sed loquatur, ut illum videam, sed judicet absque partium studio & saltem verosimilimè, minimum æquius ac sobrius, ac dum ex quibusdam controversiis Philologicis, quæ (quod Theologiæ tyronem non fallit) fidei analogiam non ingrediuntur, anceps redditur, *cui nam religioni, annon reformatæ, addictus sim*; dum ex iisdem *soliditatem* concludit, haud secus ac si alicubi dissentire ac insanire forent synonyma. In quo propudioso, quod communicasti, Theologi Tui iudicio desidero consequentiam, desidero *explicatæ*, & candorem, accuso mentis defectum, etiam si *canitiam & in ecclesiam*, quæ sunt, *merita* Tecum sincerè venerer. In istius Theologi scholis cum fortè institutus fueris, non miror amplius pristinam Tuam præcipitantiam, qui *infamiae* voculâ iudicium Tuum prius auspiciaberis, haud secus ac iste suum *soliditatis* encomio finit. Pium sane, candidum, ac modestum, ceu decebat Theologum, iudicium! Insigne *lenitatis, modestia ac mansue-*

ſuetudinis, quæ deſideras, exemplar! Dignos tantis perſonis ſermones, animi characteres! Simulac miſeram utriusque impotentiam! Quid eſt plauſtra convitiſſorum & calumniarum convehere ſi hoc non eſt? Si mihi pergis cum faceto Theologo Tuo dicere, quæ vis, ea, quæ non vis, audies! Unicum tamen hoc ut infinitis precibus à Te, Vir Clariffime, obtineam haud malevolè largiaris, ne apertâ fronte mentiri, ne calumniis mendacia addere pergas. Tuam teſtor fidem, ubinam Tibi, quod mihi annis ſis inferior, exprobraverim. Nuſpſiam juventutem Tuam carpo, qui nec ipſe ſenium novi, juvenilem ſaltem pruritem, acrimoniam, petulantiam & alicubi ignorantiam. Unde ſiquidem Platonis iudicium de ſene bis puero Theologo Tuo, ſi Tecum criminari perget, propinaveris, res evadet magis appoſita & evidens. Nuſpſiam neminem præter me ſapere, ceu denuò mentiris, profiteor: etiamſi Te, cum convitiaris, deſipere exiſtitem, ac imperitiam Tuam, ubi ſe apertiſſimè prodit, caſtigem. Nec faſtuſum me deprehenderes, ſi maxime protinus excuſeres, etiamſi dictatoriam Tuam inſolentiam in ſupero prologo damnantem, quæ nec tangebās, nec intelligebas, reprehenderim. Tandem id Tibi viciffim perſuafum habeas, me, ut Tuis utar verbis, à Te haberi indoctum malle quàm doctum, ſiquidem ille demum indoctus Tibi videtur, qui ſumma illa nomina Marſhami, Spenceri, Clerici, ex quibus me alicubi ſapere haud diffiteor, ÆQUALI mecum veneratione proſequatur. Denique vel eâ propter concatenatos officii publici labores apologiam Tuam interrumpere largior, ut benevolus lector animadvertat, in ſuperiori mea epiſtolâ, ſecus ac profiteris, deprehendi vani clamoris nihil, ſoliditatis ſaltem aliquantulum, ingenui candoris plurimum!

* * * * *



DE innovandi pruritu querelas Tuas nuncupo veras, ſimulac ſupervacaneas ac parum appoſitas, ſicubi gravius metus non ſubſit, ac dum in controverſiis
 qvi-

quibusdam reapse adiaphoris meam in alterutram partem pro-
 pensionem haud diffiteor. Quî vero, *qua generatim dixeris, in
 memet transferre haud debueris*, cum Te mihi dicam scribere
 ubivis profitereris? Quicquid igitur *de summorum virorum in fidei
 analogiam vel meritis vel injuriis sit*, mihi, ut illa discuterem, nu-
 spiam fumsi, eruditionem saltem in rebus philologicis æqvè ac
 historicis eorundem stupendam nemo negaverit nisi stupidus,
 eapropter neutiquam dubiam, quod Claritati Tuæ livorem pa-
 riat. Hinc, quando Gen. VI. 5. verba Mosis *per auxesin* inter-
 pretor, nec peccatum originis nego, nec verbis Mosis vim in-
 fero ullam, etiamsi *in quibusdam Clerici vestigiis insistam*. לֵי יָצַר
omne figmentum, omne consilium, omne quicquid è depravatus animi hu-
mani seriniis propollulas, & hoc omne cum Mose tantum malum,
nil nisi extremam malitiam parturire profiteor. Inquinata igitur
 vita inquinatum fontem arguat necesse est, quem *in phraseologia
 expressâ* quodammodo subinnui haud diffiteor, deinceps, cum
 verbum מַעֲרִי additur Gen. IX. 21. adhuc dilucidius indigita-
 tum; etiamsi hîc de solo originali peccato & quidem ex professo
 agere Mosem percipere haud valeam. Præcipuè enim in inte-
 gro hoc versu *gravè nequitiam hominum & peccatum in actus externos
 erumpens* Mosem perfringere & diserta illius oratio, & è vestigio
 memorata diluvii pœna arguit. In quâ generaliori phrasi ideo
auxesin admitto, ne videatur Moses cujusdam hominis, Noachî
 saltem, saniorem mentem, aliorumque incessantes conscientia
 morsus negare. Ecquid hîc criminis? Eratne illud *subleestas Cle-*
rici de P. O. opiniones probare? Eratne illud *ubivis Clerici vestigiis
 insistere?* quod videlicet ille similiter *de Noachi encomio & conscien-*
tia morsibus, diverso licet fine, loquatur? Fidem Tuam Elfwiche!
 adeo sublestatam, ut eapropter *verborum satis, ponderis nihil pra se
 ferens nugeris, vereri Te, ne si quisque quod suum repetat, nudus in-*
cedere cogar. Repetat quisque suum, vel Tu eorum nomine,
 per me licebit, quod unicuique grati acceptum tulimus, & in-
 cedemus nudi, *integra nihilominus JURA ISRAELITARUM IN PA-*
LÆSTINAM per singula capita perorantes, à nemine hucusque ex-
 pressâ.

pressâ. Tuam, Elfwiche calumniam, sed & denuò fidem Tuam! Repetat quisque è dissertatione Tuâ & apologiâ suum, ecquid, quâ paginâ, qua lineâ indices, superstes quod Tuum, præter *solum nomen. & prolixum bonæ spei titulum.* *Corniculam Æsopicam!* Modò igitur quod meum mihi reliqueris, relinqves verò, si per livorem licet, relinquas necessè est, si vel semel Temet veracem stiteris, testabor denuò, *perhorrescentiam nostram idiotarum iudicum* nec ad Te doctiorem, nec Te, nisi ubi alicubi turpiter impingis, attinere, & per modestiam Tuam Te compellabo, nolis propterea memet *avædvas* postulare, quam, etiamsi ubivis quæras, deprehendis omnino nullam, vel, si quam tandem in verbis nostris pro eâ, qua in memet inveheris. verborum emphasi concedere teneat, intelligi credas *blumbei iudicii fugam.* *Philosophus verò mansisses,* siquidem è *crassissimâ quâdam ignorantia Tuâ,* quam deinceps denuò audies, memethærefeos, vel saltem erroris convincere superfedisses.

Atque sic ad rem ipsam Te convertis, ex quo videlicet plura, quæ rem non concernunt, monuisti. Hic verò *candorem meum* accusas, simulac tamen *sine ordine compilatas querelas Tuas* excusas. Distinguis enim *inter obelum mereri, & in fidei analogiam esse injurium.* Quomodo distinguere debuisses, cum confusum prologi Tui chaos confarcires, ac seorsim indicare, ad quam classem asteriscos Tuos seorsim referri volueris, nequicquam verò *ima miscere summis,* atque sic imprudenter æqvè ac malevole *sinistram lectori opinionem* ingurgitare. Perquam enim absurde, cum & *qua obelum mercantur,* & quæ, sed Tuo iudicio, *in fidei analogiam injuria sint,* citra ordinem compilare consultum iudicabas, in acie collocabas *de primævâ linguâ controversiam,* absurdè illam, ut naniis Tuis nuperis Te extrices, porrò dijudicas. Vates enim fiet, ut quid tandem de quâvis philologorum opinione sentias, intelligat, nec tamen quibit. Hanc enim hypothesin solum *scandalosam* habendam esse definis. Sicubi igitur ex ordine & rubro Tuo colligere valuissèm solum *scandalum Tuum,* ad mentem Tuam Te castigassem. Veruntamen sive *hereticam* sive *scandalosam*

losam dicas, neutrum tamen illam à calumniis Tuis liberat. Cum igitur scriptura sacra, quam cæteroquin unicam ut veritatis normam, ita & *hereseos trutinam* profiteor, altioribus fidei mysteriis occupetur, neq; conjecturas has philologicas dijudicet, equorum tandem mihi provocandum erat, ac ad *symbola, concilia confessiones* coram adeò singulari homine, qui quantus quantus autoritate solâ regitur, ut concluderem, cum sententia ista ne horum quidem decreto vel hæretica, vel saltem scandalosa pronuncietur, reliqua vel Claritatis Tuæ bruta fulmina vel aliorum dissensus, etiamsi multum modestiores, argumentorum vim, quam controversiarum autores afferunt, non infringere, neque adeò *multitudinem errantium errori parocinium parere*. Conclusiones saltem quas gratis & sine præmissis inferis, videlicet quod *scriptura sacratiore refragetur, Mosis* (etiamsi illum Hebraico idiomate scripturam consignasse largiamur) *angeli lacessat, nobisque ansam præbuerit, scientias non uno nomine detestandas incrustandi*, dum mirifice laudas & palpas Tuas, en dextram fidemque nostram, quæ protinus Te provocat, ut vel à calumniis his Te liberet, vel calumniatoris præmium jugiter bajules. Infipientium est, ad meram conclusionem provocare! Candorem Tuum, calumniam Tuam Elfwiche! Sed & aliud artis Tuæ pseudologicae specimen prodis, dum quidvis è quovis colligere pergis, atque ex asserto nostro, quod *Moses ex monumentis walgarapadois historiam suam consignaverit*, immanes in *Hevæusiar* injurias colligere sustines. Etenim Mosem è *Hevæusiar* scripsisse adeò ubivis *wala pñov* professus sum, ut frivolum nuncupem, qui alienam nobis mentem affricare ausit. Quamvis igitur porro sincere existimem, *inspirationem divinam suggestionem & rerum & verborum omnium involvere*, ergone in *Hevæusiar* injurius, quod Mosem Genesin ac præterlapforum temporum fata è monumentis avitis collegisse scripserim, quæ si non omnia, saltem plurima è *walgarapadois* procul omni dubio, veluti ex unico veritatis ante revelatum verbum fonte, sibi nota erant, dudum antequam Pentateuchum consignaret? Ergone in

in Θεωπνευσίαν injurius, qui Johannem facta Christi, quæ ipse viderat ac norat, Θεοπνευστον collegisse ad palatum ἰων ορθοδοξίας dixerit? Hinc cum alicubi & incidenter, illud *Deo manudcente* vel, quod idem, *adminiculante*, factum significaverim, adeò illud Θεοπνευσίαν non ferit, ut potius illam protinus explanet, cum Theologi modum suggestionis divinæ ipsimet felicius explicare nequeant, ac per exemplar magistri scribentis manum ducentis. Faceta vero & intempestiva collectio, *verba illa de Θεοπνευσία usurpata alium sensum non fundere, ac forè alibi diversissimæ materiæ applicata. Talia sunt predicata, qualia permittuntur à suis subjectis.* Etiam si igitur fatear, si indolem Θεοπνευσίας ex professo explanare alicubi intendissem, prolixioribus opus fuisset verbis, nugas tamen Tuas, Vir Clarissimè, quas ex genio αἰρετικωπονητικῶ pro oscitantia Tuâ divenditas, Claritate Tuâ omninò dignas, indignas, quæ calamum facessant, existimo: *Non promitto orbi futuro uberiores revelationes, etiam si Deo adminiculante cognitionem uberiorem philologicam: Nec per meram assistentiam revelationem desinio, etiam si & illam Deo adminiculante contingentem, adjutorii modum per verbum Θεοπνευσίας, quod absolute positum sit in significato famosiori, toties quoties indigitans. Desine igitur impostero quidvis è quovis colligere, atque à peculantia Tuâ, quam ferè solam profiteris, commiseratione dignâ miserrime vapulare.*

Aquas supracælestes quantum attinet, ex quo tandem ab Ofiandro rectoria monitus admittis, probabile saltem esse non dari tales aqvas, simul fatearis necesse est, hypothefin hanc nec fidei analogiam ledere, nec scandalosam esse, nec obelum mereri: adeoque vel imperitiam Tuam vel malitiam arguere, quod atro nihilominus carbone illam notaveris. Etiam si verò haud difficulter feram, qui aliter senserit, 'prolixas tamen scholasticorum de earundem μηδε οὐλων μηδε βλεπομενων natura, quantitate, qualitate, sine denique διαρίθασ, ac imperitas veluti pro aris & focus contentiones aniles & ridiculas verè nuncupo. Coeterum satis caute causæ argumenta tractas, dum, quæ è natura desumuntur, ratio-

tiones, quod eas non intelligas, seponis, ad *vocum Mosaicarum proprietatem* verò provocas, adeòque *το εν αρχη* petis.

Hinc, quamvis porro carperes, quod *Moses secundum apparentiam rerum creaturarum genesin enarret*, lubens tamen prætermisi has Tuas de veritate evidentissima qverelas. His modo addis calumnias, simulac densissimam ignorantiam Tuam denuo profiteris, dum hypothesein hanc *Cartesianorum* nuncupas, quæ est & aliorum, qui illorum placitis *ε δειξισι*; dum hanc præcise Cartesianorum sententiam (quicquid fit de aliis istorum placitis) *impiam & Theologo Lutherano indignam* denuo gratis & fatis pro imperio clamitas, quâ nihil certius, nihil verius; dum *distributionem universi in cælum q.e. infinitum & terram q.e. punctum* citra verum apparentiam consideratam *adequatam* dividenditas. Desiisses calumniari, ac ignorantiam Tuam palpare, veritatem verò mirari, siquidem è Philosophorum scriiniis unquam percepisses, Terram aliquem saltem Planetam esse, adeoque, qui universum in cælum & terram citra apparentiam, ac *ως φαινεσι*, partiatur, *idem dividere in totum & totius minimam particulam*, adeòque *inadquatè*. Adeò *thescos mea me non pudet*, Elfwiche, pudeat verò Claritatem Tuam crassissimam ignorantiam toties & veluti ex professo prodentem. Et sanè, ita Te Deus amet, Vir Clarissime, turpior imperitia à Te dividenditari haud potuisset, ac dum *Lunam proprio lumine desitui negabas*, meque propterea, si non *hærescos postulare*, saltem, ceu mavis, *severiore obelo proscribere* instituebas. Turpiter hic ad Anaximandrum provocas, cujus antiquissimo ævo viventis placita tot retro seculorum observationes ac experimenta dudum proscripserunt. Turpiter ad alios provocas, qui licet meritis suis meritò mactandi, in hoc tamen tecum hallucinantur, & rerum naturalium ignorantiam aperrè produnt. Lunæ opacitatem istius in eclipsibus evanescencia vel sola irrefragabiliter confirmat, ut qui eam neget, sensu egeat. Non igitur hic deprehendi, ceu autumas, *quod pueri in fabâ*, sed quod artis periti in artis ofore, quod est, ignorante. Unde citra omnem modò strepitum agnoscas

ignorantiam Tuam & profitearis, quæ, si in confesso sit, non adeo turpis æstimari solet. Atque hæ primariæ nostræ, *in fidei analogiam injuria* Mirum sinciput!

Puncta vocalia largior ab aliis literis coæva admitti, ab aliis negari. Insistas, si lubet priori, ego inhæreo posteriori hypothese, argumentorum pondere convictus. Non te secus sentientem damno, modo nec me dissentientem male haberes. Argumentum sane Tuum, quod *litera punctis destituta aliubi diversum valorem sortiantur*, antiquitatem punctorum non evincit, quarum sensus præterea è contextus *συμφυια* facile definitur, ut protinus affirmare ausim, quod, *qui res omnes innovandi aut scripturae auctoritatem concidendi* rabie laborant & in universum, qui hæresin pandunt, nullo præsidio minus adjuvari ac punctorum *αθεοαυγισια*.

Vnde, cum auctoritatibus non pugnem sed rationibus, & *απειθαρχιας primeve ignorantia* in scriptura *κατα εναν* assertæ inhæreo, & petulantiam Tuam denuo carpo, quæ, qua in præjudicia quævis dilaberis fascinatione, etiam ubi, te confitente reo, vel hæreseos vel scandali metus nullus, innoxiam tamen mentem traducere fatis puerili æstu ubivis allaborat.

Sinceram *de Sabbato* doctrinam è Fectio protinus hausi, quæ si cum istius loco citato conferatur, ovum ovo nequit dici similis, Spenceri vero allegavi conjecturam non probavi, sed è vestigio veritatem ad mentem omnium fermè orthodoxorum ab isto allegatorum explicavi. Utinam vero *idem Tibi, qui Fectio in orthodoxiam animus foret!* Nullis tunc regereris præjudiciis, & hunc saltem §. tuum *ipse liturâ obduces*. E tot enim à nobis allatis argumentis, quæ taces, irrefragabiliter evincitur, Mosem *per prolepsin* loqui. Nec officit, quod & *quæ sic dicuntur per prolepsin, & quæ porro orationem Mosis comitantur, individuo sono efferrantur*, nisi omnem prorsus prolepsin negare libido sit, quam ipse Glassius annotavit frequentissimam.

Suporem Tuum non eapropter noto, quod *τελεπαρραυγισιον* aliter efferas, sed quod aliter efferentem traducas, quicquid tandem
fit

fit de genuinâ istius pronounciatione. Ad *providentiam* provocas *divinam*, ad eandem ego. Veruntamen, cum alia istius vestigia non deprehendam ac *vocis indolem*, quæ analogiam vocis יעקוב svadet, & præterea *gentilium antiquissimam expressionem*, hæc seqvor. Puncta enim à Masorethis addita *γνῶσις* non esse & notum & ostendi §. 12. & fatentur Judæi. His igitur deficientibus cum viris allegatis provoco ad lectionem verosimillimam, quam præterea gentilium pronounciatio commendat. Horum levis in illâ varietas tanta non est, ut attendi mereatur. Quinimo ipsum *יְהוָה* facilius ex *יהו* quam Jehovah derivatur, atque *יה* est abbreviatum *יהוה*. Intempestivè vero mihi hîc exprobras tertii *אנפיוס*, quæ præterea frequentius in literarum quam vocalium emendatione apud Clericum deprehenduntur.

Quod *quadam arbores salutifera, quadam perniciosa & mortem acceleraturæ creatæ fuerint*, docet experientia. Quæ diversitas cum *transgressioni legis* nuspiam accepta feratur, tribuenda *natura*, & primæ creationi. Quod verò *sensum hieroglyphicum* ac mysticum attinet, saltem alicubi in scripturâ licet simplici illum admittamus necesse est. Quid enim cæteroquin de tot, quæ veneramur, redemptionis nostræ *typis*, in V. T. nuspiam *καταγελῶν* indicatis fieret? Obmutesce, qui saniozem ac diviniorem mentem barde profligare sustines. Tantum enim abest, ut sensus literalis conculcetur, ut conservetur *κατα πῶδα*, in sublimiori vetero & mystico sensu elevetur ad tenorem sacræ Scripturæ. Utrum verò scripturam suam in solo sensu literali intelligi velit Moses, res est in principio posita. Et literalis sensus, quot bone Deus atheis illum inficiandi dedit anfas? Quot hinc redeunt difficultates, qui uni & soli arboris cuiusdam gustui alligaverit Deus communem vel miseriam vel fortunam? qui è *physico* arboris gustu *moralis* descenderit improbitas, quod *utrumque toto genere differi*? Quæ & plura alia si discutere animus fuisset, oportebat, ipsum commentationis nostræ ductum sequi, quo ipsum filium nostrum prorsus abrumperes: neutiquam vero sufficiebat,

bat, ut hinc inde quædam arripere, quæ incrustares. Et quævis scripturæ exegesis innoxia, si fidei analogiam non ledat. Rom. XII. 7. Quod si, ut lapsum humanum ritè capias, *Oedipoes*, consule scripturam N.F. quæ arborem vitæ & cognitionis boni & mali non nominat, nominat vero lapsum & inde resultans peccatum sic adumbratum. Hinc quando argumentaris, seqvi, *Deum signum modo & corticem proposuisse, nucleum autem & rem significatam solius hominis ingenio reliquisse*, subsume singulos V.T. typos & argumenti imbecillitatem lubens agnosces. Sic gentilium consuetudinem solam non seqvor, sed simillimam antediluvianorum quorumvis è defectu literarum necessario resultantem. Nec propterea hypothesis nostra dubia redditur, quod sic significaret *impeditus ad arborem vitæ accessus* inhabilitatem hominis ad reparandam amissam felicitatem. Quæ sanè in homine sibi relicto maxima, nec nisi in solo Christo corrigitur, cujus eapropter merita cum Mose religiosissimè expressimus, ad tenorem Protevangelii. Vel tyro igitur rerum *Theologicarum* iudicaret æquus!

Puerilem verò strepitum moves, dum criminationis Tuæ nuperæ Te pudet, quâ verba, quod *pleraque V.T. decreta vitæ temporalis felicitates promittant*, citra contextum considerata proscribebas, modò, cum, quid tandem oggannires, nescias, eadem in contextu considerari mavis, ut appareat, illa *legitimam saltem consequentiam non fundere*. Verum neque sic aliquid nuperæ Tuæ cavillationi præsidii comparatur. Cum enim evincere, phrasin Mosis mortem naturalem definire, atque illud præcipuè è Gen. III. 19. colligerem, interferui phrasin quæstionis, ut porro docerem, cum vitæ temporalis felicitates præcipuè promittat Mosis, & mortis nomine ubivis ferè mortem naturalem intelligendum esse, adeoque & hinc *significatum*, nî perpetuum, saltem *famosorem*, admittendum esse. Vide igitur, Elfwiche, annon vel tyro Temet, verborum quippe ignarum, ad *ima Grammatica subjellia* sicut relegaturus!

De

De sollicitudine Adami circa arcessendum thovi consortium, cum phraseos à nobis explicatæ veritatem concedas, quod porro adam, non video, nisi ut prætentæ *συναφεια* commatum 19. & 20. respondeam, hanc ex mente nostra demum rectè digeri, siquidem ut & postèrius *ψ. 19.* & prius *ψ. 20.* ita & prius *ψ. 19.* & postèrius *ψ. 20.* membrum similiter & digne consideraveris, ac plura alia causæ nostræ argumenta in commentario allegata, quæ cum te angant, non tangis. Fata vero τὸ θεῖα Helmsfadiensis isti exprobes, ad quem attinent. Stolidum tertio objicere delictum tertii.

In doctrinâ de serpente seductore nihil vides, quod regeras, nisi quod me ad dissertationem Pt. Rever. Tappen, collegæ nostri & honoratissimi & amantissimi, dissertationem remittas. Hanc legi, ex eâdemque ut & plurimis istius in ecclesiam nostram meritis autoris haud fucatam pietatem, raram eruditionem, simulac consummatissimam modestiam perspectam habeo. Cui sufficit, quod, in circumstantiis cum differam, fidei analogiam profiteamur eandem.

Sic cum primum protoplastorum peccatum *superbiam* admittas, admittente scriptura, quæ nihil in deficiente homine notavit prius, audiam aliquando notitiam *compendii Tui postèrius*, quam ubivis crepas, siquidem de actu primo peccati primi seorsim disputavero. Atque uti sic denuo facetam Tuam petulantiam, quæ, etiam cum idem sentias, nihilominus dicam scribere aufit, noto: ita scurrilia Tua diçteria, quæ hîc cumulas, modò non curo, deinceps condigne castiganda.

Interea, dum *Paronomasia*. similiumque figurarum Rhetoricarum *lusus* & quidem S. Scripturæ usitatisimos denuò largiris, noli *ambiguitatem* vocis ערם bardè mirari, quâ pro vocis *πολυσημνα* & *ambiguitate* (aures arrige, eruditissimè Nimirum!) & modo ludis Moses, & modò callidum, modò *physicè* modò *moraliter* nudum exprimit Nupera igitur crisis Tua denuo ferula digna!

Hypothesin de sacrificiorum primâ origine arbitrariâ dicat Leydeckerus *Pelagianam*, dicas ipse ex æstu Tuo *απεινοσσηνῶν* Diaboli-

bolicam. Bene est, quod *dictatorio* *judicio* *Tuo* *non* *regantur* *omnes*, nec veritas autoritate, sed argumentis militet. Quinimò define *supra* *agere*, indue vero misericordiæ affectum, quotiescunque ignorantia Tuæ astronomicae stupidissimæ recordaris. *In* *ter* *Pontificios* *sanè* *degere* *&* *sic* *sentire*, neutiquam scelus. Colligant isti hinc quod lubet, quando ceremonias *ad* *opas* instituunt. Definant hinc argumentari, cum fidei analogiam & sacramenta definiunt. Absurdissima enim omnium, quæ unquam verbis nostris affricari potest, sequela, quod *sacrificia* *primæva* *dicamus* *juris* *natura*, quæ expressè nuncupamus meri arbitrii. *Sic* *fide* *sacrificasse* *Abel* *profitemur*, *ut* *nec* *loquamur* *avusa*, nec fidem *in* *peregrino* *sensu* *accipiamus*. Sacrificium enim fidem non ingreditur, sed fides Abelis sacrificium comitabatur. Abel cum sacrificaret, ceremoniâungebatur, quam existimabat Deo haud ingrati: Fides universa Abelis, *quâ* *noticiam*, *quâ* *assensum*, *quâ* *fiduciam* *nitebatur* *Protevangeli* *summâ*. Supervacaneæ igitur, quas cumulas, querelæ & stolidus *vel* *Papismi*, *vel* *Naturalismi* *metus*. Socinianorum indolem detestor. *Duo* *cum* *faciunt* *idem*, *non* *idem* *reputatur* *idem*. Agnoscant Sociniani quædam saltem sacrificia à Deo mandata, quæ memorat Moses, in iisque virtutem typicam, quam expressit Paulus. Socinianos proscribere, non est præjudiciis velificari, non est suspicionem *vestras* præbere, sed iis argumentis ferire, quæ tempus & oculatissimorum hostium impetum ferant. Negabit Socinianus, sacrificia primæva à Deo mandata, nec Tibi credet, quod aliter sentias. Provocabit ad scripturam. *E* *silencio* *scriptura* *concedet* *validum* *non* *duci* *argumentum*, at nec pro nostrâ nec suâ hypothesi, adeoque omninò nullum. *Implicatas* *Tuas* *consequencias* nisi firmiori talo nitentes æquè feliciter negabit, ac afferes. Utinam, cum tantos hostes adorimur, cumularemus semper argumenta *ynnoia* & apodictica, mitteremus præjudicia, quæ veritatem apertissimam sic reddunt vel suspectam vel dubiam! Ad quæ merito suo refero de *universali* *diluvio* querelas, in quibus meram principii petitionem committis, dum *universaliter* *generalem* *Mosis* *loguentionem* *de*

de quibuscumque non regionis sed orbis animaribus intelligendam esse
 afferis, nobis scripturæ parallelismo contrarium explanantibus
 in Comm. C.7. §.27. dum *literam deserendam non esse, nisi gravissimis*
de rationibus urges, nobis has difertè edifferentibus, videlicet
aquarum toti orbi inundando haud suffe&uraminopiam. Neque quod
 omninò regeras habes, nisi quod blateres, *scriptura auctoritatem sic*
subrui, etiamsi quomodo illud contingat nec percipias, nec no-
 mines, Nec ullos admitto fontes, nisi quos scriptura indigitat
fluviorum scaturigines & pluviosas nubes. Ad miraculum verò, quod
 circa ipsam diluvii historiam omnino veneror, ut, quantum ipsas
 aquas diluviales attinet, præter tenorem scripturæ provo-
 cem, impedit scriptura, quæ fontes & nubes, inundationis hu-
 jus catholicæ causas, allegat. Unde instantia ab *omnipotentia di-*
vina desumpta in tantum fallit, in quantum à *posse ad esse con-*
sequentia.

Sic denuo, quando *Chami incestum* excusas, ad id, quod in
 principio, provocas, & phraseologia veram indolem negas,
 etiamsi sit scripturæ per Comm. c.9. §.31. & hypothesin nostram
 contextus *συμφερα* contradicere clamitas, quamvis præter illam
 per demonstrata nostra sit omnino nulla; plurima vero alia à
 nobis cumulata argumenta prorsus prætermittis. Hinc quan-
 do communem veterum opinionem sequeris, & aliam impie-
 tatem Chami enarras, etiamsi illa sit *meræ ιδίας περιουσίας*, nec vel
 verbulo à Mose indigitetur, nec omninò cum subsequutà poena
 comparari queat, aërem feris. Qvì enim illa in SOLUM
 CANAANEM derivari potuiffet, nisi ipse incestuosa è concubitu
 nata proles fuiffet? Neque vero Canaan *primogenitus* erat, ceu
 falleris, cum illi præferantur *Chusus, Mizraim & Phut* Gen. X.6.
 Qvod saltem argumentum conjecturis Tuis, quas gratis affers,
 & ipse solum *probabiles* ais, miris modis præferendum. E con-
 nexione verò individuâ scripturæ singula, quæ sic memorantur,
 eodem veluti momento contigisse, colligere velle, per quam ab-
 surdum, cum certum sit intra primam solum legis sectionem
 XVI. centenariorum historiam contineri. Miseram & vanam
βαλλολογίαν Tuam!

Viden igitur, Elfwiche, jure mihi displicuisse indolem Tuam, ignorantiam, criminationem, cavillationem, calumniam. Ecquæ nunc, qua mercantur obelum, qua scandalosa, qua in fidei analogiam injuria? Fulmina vero non novit scriptura mea, etiam si dignos adeo frivolo censore asteriscos. Brutè verò cum calumniari pergas, & pro delirantium *avtōdua Tibi perplaceas, despicias alios*, modò efficiam, ut per sex exiles observationes Tuas denuo sentiat Lector, Te emuncta, ceu videri volebas, *naris hominem* nedum quidem *nares mungere* valuisse.

* * * * *

U

T enim è tot, quæ in scripturâ meâ Claritatem Tuam offenderant, hypothefibus philologicis excerpere palmarias, vel in fidei analogiam injurias vel saltem scandalosas, nostram de stylo Mosis conjecturam perquam faceret collocabas in acie. In quâ equam tandem *Mosis eloquentiam*, quo es lepore, fueris venatus, adhuc dubius relinquo, cum & ipse nescire videaris. Sive enim adeo amplas verborum ampullas divenditare, adeo subtiles schematum crises indagare, adeo ad hominum opinionem accommodè differere Mosem sustineas, qualis Rhetoricæ definitio desiderat, & negavimus: sive illum loquelæ connatum ductum sequi, animi sensa vulgari dicendi genere efferre ac simpliciter dicere admittas, necesse est. Defendo postremum, ab omni **HABITUS ORATORII FUCO** prorsus alienum, per Comment. Prol. §. 12. neque credo, quod denuò adeo turpiter hallucinari libido sit, ut *οὐκ ἔστιν* sis negaturus. Unde cum mihi, quod illam *statuam*, semel iterumque tantum non exprobres, cave ne illam aliquando præfractè negare audeas, ac *neglectum suum illa graviter vindicet!* Adeo verò sese *θεοπνευτος* spiritus scribentium naturali dicendi generi accommodavit, ut verba suppeditaverit singula, sed ad affectum scriptorum mirifice modificata. Hinc Mosem, cum ex Ægypto rediret, nulla oratoricæ artis præsidia secum asportans, *cirra eloquentia habitum* di.

dixisse sum professus; quamvis negare nequiverim, quod naturale dicendi genus assidua istius oratio & exercitatio indies disertius & facundius reddiderit. Unde, quod *simplicissimi*, hoc est, omnis artificialis facundiæ ignari *instar*, si & iste è *Ἰωάννης* scriberet, *Pentateuchum consignaverit*, quod *comitior* & ad modernas Rhetorum formas *elegantior oratio citra miraculum ab istoc avo* sperari haud potuerit, efficit eloquentiæ artificialis ignorantia, ipso sancto spiritu nusquam *πειθὺς ἀνθρώπων σέβας λόγος, ἡ ὑπεροχὴν* 1. Cor. II. 15. intendente, sed redarguente, potius ut à quôvis intelligeretur, ad *vulgi* (in cuius gratiam scribebat) *captum sese accommodante*. Quando igitur secus sentis, ac artificialem facundiam Ægyptiis tribuis, noli quærere, *utrum illam didicerit Moses vel ante vel post reditum ex Ægypto*, cum didicerit nunquam, nec *triplicem instantiam Tuam* palpate! Non *primam*, quod *illorum temporum historia densissimis tenebris sint implicata*. Has enim ultro largior, ut tamen sequar dilucidiores, quales præter scripturam antiquissimorum temporum testimonia pandunt. Falleris autem, quod *de Osiride* non loquatur Diodorus. Etiam si enim *nominum impositionem* (quæ ab eloquentiâ distat longissimè) tribuat Mercurio, tribuit tamen & isti, dum addit: *Qui tempore Osiridis fuere literarum scriptores, hæc eadem ab illo accepta referunt*. Atque ut hinc agnosco, *Temet ipsum Siculum non evoluisse*, ita quæstioni, *quis tandem Osiris?* respondeo, ad mentem gentiliū *idem, qui Phœnicibus Adonis, Deus adèò Hammon ac Menes, Herodoti & Diodori suffragiū primus Ægyptiorum Rex, numen denique πολυανόρον, ab aliis Bacchus, Pluto, Jupiter, & Pan dictus, Mercurio Tuo antiquior*, per decisa Jo Marshami Can. Chron. Sec. I. p. 30. ad mentem vero verosimillimam & Abricensis Episcopi ipse MOSES. vid. Huetii Dem. Evang. pr. 4. p. 133. De hoc enim quæ perceperant gentes, sub diversis nominibus Diis quibusdam fictis tribuerunt. Unde *primum literarum autorem Mosem* credo, cum nulla deprehenderim vetustiora literaturæ vestigia, quam *scripturam Dei digito formatam*. Quibus profus non officit de vetustate literarum, quam palpas, dubia Tua oratio, cum &

C

ipse

ipse illam *incertam* ac tenebricosam credas; nec *legum* vel *cultus* sacri promulgatio Mercurio dicata (si maximè vera esset) *eloquentiam* infert; & Horatius (Poetis enim quæ non licent?) *Mercurium facundum* dicere valuit, etiamsi artificialis oratoriarum ignarum. Nolo igitur tenebrionem sequi, sed dilucidum Scripturæ vadum, ac instantiæ Tuæ ex Exod. XVII. 14. desumptæ denuò prolepsin obverto, omnino & adeò frequentem ut in eodem hoc capite admittat similem Glassius Gram. S. l. 4. tr. 2. obs. 28. p. m. 926 & modò necessariam, propterea quod ne Tuo quidem suffragio antiquior eaq; indubia origo literarum ostendi queat. Vel *tenebra* istæ argumentum fundunt, antiquissimos literarum usu caruisse. Et sanè, quæ avitis temporibus tribuuntur, *litera*, vix nomine hoc dignæ, erant enim *hieroglyphica*, dum

*saxis tantum volucresque feraque
Sculptaque servabant magicas animalia lingvas.*

Et Mercurii literæ *anigmata* Eusebio Præp. Ev. p. 29. a. audiunt. Unde, etiamsi *meum non sit*, Tuas, quasq;vq; cerebrum fingit, nœnias *ordine prosequi*, fecus ac existimas, ne tamen quicquam eorum, quæ monuisti, intactum relinquatur, concludo, è merâ *literarum inventione* (si maximè verè Mercurio tribueretur) facetè à Te colligi, *imbuisse illum homines eloquentia, ac concinnum & elegans dicendi genus tradidisse*. Hinc cum tandem phrasis Mosis *לא איש דברים* ex vi nativâ & *κατὰ φύσιν ineloquentem* notet, desino circa illam prolixus esse; sive enim *balbumentem* sive *facundia ignarum* significet, modò perinde, cum *eloquentem* non dicat.

Atque uti sic fatis evanidæ sunt innumeræ & *απειραια* & *αυτολογισια* Tuæ, nec verè aliud intendant, quam ut oratorum ingenio hominum accommodas pervasiones scripturæ introducant, quam piè ac considerate, deploras: ita dicteria, quæ in conclusionè denuò cumulas, prætereo, atque reliquas quoq; *que-relas* strictim diluo, quamvis non sine tædio, cum quod notiffimas saltem philologorum controversias, non ipsum argumen-
tum

tum nostrum, utpote proxis intactum, à calumniis liberare; tum quod meras narnias ac nugas, nullibi nodum, extricare te- near. Tale denuo, quod ante victoriam triumphum perquam facete ebuccines, quod *observationi secunda* defendendæ sufficere clamites, hypothesin negasse, vel calumniis maculasse, vel deniq; unico, etiam si *controversia statum nedum, ceu monueram feriente, ictu* incidisse omnem. In quo posteriori delirio Tuo furioso isti si- milis videris, qui immani boatu in arborem prægrandem irru- ens, cum ictu quodam fatali ne folium quidem, sua tantum cru- ra incidisset, vulnus arboris præcipiti ruinæ tribuebat. Quan- tum vero *ephemerides* allegatæ mihi præsidii comparare value- rint, judicet ex iisdem Lector, ut calumnias Tuas, *quod alieno vitulo araverim*, profiteatur saltem ex proæresi mendacis.

Cum *tertiam observationem* aggrederer, denuo calumniam, *quod Clericus utramque paginam faciat*, calumniam ex vero nuncupavi: Hanc supra proscrispi & vicissim largior, ut *calosephim evincat con- trarium*. Magno vero ubivis apparatu, conatu magno nugas magnas cumulas. Eratne enim Bochartum allegasse, propterea quod hypothesin copiose & fusè demonstrat, etiam si in non- nullis dissentiat, *illum non legisse?* Eratne illud admiratione Tuâ dignum, quod modo *Clericum non citaverim*, cum & iste hypo- theseos præcipua fundamenta è Bocharto petat? Sic licet in עברי *formam & analogiam agnoscamus patronymicam & illam quidem* saltem ab עבר (sive transitum sive Heberum notet) Tuo etiam iudicio descendente, equare illa *patronymica* esse defineret, si denominata esset à *transitu*. Ab Hebero enim quare derivare non liceat, diximus in Comm. c. 14. §. 14. Et quod si maximè, ceu an- helas, *ad radicem recurrendum esset*, nonne illa, quæ *transire* so- nat, *transitus* causam evidenter tueretur? Chananæi igitur *Transeuphratensem* quemvis dixerunt עברי, seorsim vero Abra- hamum, quod hinc ad se transiisset, nomine hoc in ejusdem po- steros descendente, cum haud infreqvens sit, *patronymicam for- mam*, v. g. גרשי אמרי יבוס & c. Gen. X. 16. 17. 18. *& genti, & istius auctori communem esse*. Supervacanea verò erat quaestio Tua, an-

non regio veterum colonorum nomen retinere potuerit; cum ex præjudicio Tuo quærere debuisses, annon lingua noviter illata nomen veteris linguæ in eadem regione quondam usitata? annon v.g. moderna Itolorum lingua nomen Latinæ? & argumenti inhabilitatem dignè percepisses. Et quæ non aliquando cujusdam *conjectura sententiam*, cui illa opponitur, adeò non ferret, ut *potius locupletet*? Ex mero igitur hoc asserto nostro colligere non debebas, quod *Loscheri conjecturam ad hypotesin detorqueam*. Irrefragabile igitur primum argumentum, Te ipso illud *speciosum nuncupante*. Dum verò largior, secundum ob quasdam in contrarium suspiciones *demonstrativâ vi non pollere, sed saltem insigni probabilitate*, statum controversiæ non feris. Neque enim in dubium voco, quod Abramus, qui Chananæam didicic linguam, primitus institutore sit usus, sed quod Patriarchæ singuli horumque posterii (sicubi aliam dialectum jugiter usurpassent) *nusquam interprete usi dicantur* (quod tamen de iisdem in Ægyptum descendentibus protinus asseritur) pensitatu dignum, judico; suspicione Tuâ, quod avito hoc ævo per omnem ætatem Hebræi Chananæorum linguam addidicerint, non omninò probabili. Hinc cum nugas frustra denuo quæsieris, etiam si sic deprehendas nullas, miseret me Tui, Nugigerule! quod linguam Trans-euphratensium *intra unicum seculum adeò mutari potuisse* existimes, ut evaderet tantum non prorsus alia, ut pro יגד שדרותא dixerint גל; quod miseram hanc *conjecturam rei testimonium* nuncupaveris; quod denuo, ne quod oggannires, deficeret, *duo in Chaldaea quoque idiomatica promulges*. In quibus probabilitatem percipio nullam, quam tamen, ut in nostrâ saltem conjecturâ satis suprâ confirmatâ largiaris, quò chartæ parcam, ad Clerici (*modo scelus non fiet, nec utramque paginam faciat*) *diff. 1. de L.H. § 5.* ejusve initium Te remitto, ut verba citra livorem pensitando rectius existimes. Responsis vero non expressis aliorum, à quibus sententiam Tuam sic mutuatus es, *ut utramque paginam faciat*, responsa Bocharti aliorumque vicissim oppono.

Quæ

Quæ in *IV. observatione* de aliorum vel in Pentateuchum vel S. Scripturam injuriis denuo præter rem mones, mitto, utpote *αλλότρια*: malitiam verot tuam, quæ si uspiam hic sane maxime intolerabilis evadit, & *utramque paginam facit*, denuo profligo, quippe quâ modestissimam conjecturam, mentemque innoxiam adeò vesanè traducis, ut ne erubescas quidem nobis affricare, quod existimemus, quin imò palam edisseramus, *Mosem hominum aucupari favorem*, Poema primi capituli minus accuratum esse, in eo non eâ, quâ par erat, *ακριβεια* res enarrari, nec *ακριβως* nec *elegantè confectum esse*, continere, quæ aliter, me sic sentiente, se habeant, *citra hoc canticum in lectionem Pentateuchi Israelitas non potuisse incumbere*, Mosem adeo ex ignorantia cum primo autore errores commisisse. An sycophanta judicaret seqvius? Hoc enim CALUMNIETUR ELSWICH, non ego vel uspiam asserui, vel unquam credidi. A calumniis igitur his Tuis quomodo Te liberes, dispicias. Mosem Pentateuchum suum verbis & cantico cujusdam vel *ἱεροπνευστος*, vel pii saltem Israëlita exordiri è gravissimis quibusdam rationibus quod existimem significavi, fortè ut celebratissimo æque ac notissimo hoc carmine, quò creationem edisserere ac decantare ante verbum revelatum consueverant, ad Pentateuchi, eandem creationis historiam iisdem verbis exordientis, lectionem invitaret. Eratne illud *hominum aucupari favorem*? Eratne, quod concinnè & elegantè expressio Poëmati Moses pro scopo suo quædam addiderit, quæ aliquas circumstantias (ad *αυτοψιαν* hic provoco) fusius explanarent, istius *ακριβειας* laceßere, aliter Mosem sentire? Ne vero de *ἱεροπνευστια* cantici dubitaret Lector, sive Poëma illud primitus è *ἱεροπνευστια* profectum, sive à *ἱεροπνευστω* Mose saltem in id veritatis autoritatisque culmen evectum esse, addidi, non secus ac quædam *Gentilium asserta* humano ore primitus prolata ex allegatione Pauli *ἱεροπνευστος* eandem majestatem affecuta sunt. Unde ut nervum incidam, non quæritur, quod parùm benevole quæris, nimis vero audacter garris & calumniaris, sed tantummodò, *an propterea ἱεροπνευστον salutare non mereatur, quod*

resicatur primus auctor, etiamsi ab auctore Θεωρεῦσθαι promulgatum sit. Hoc est quod negabas eapropter argumentando, auctorem non potuisse resicere quod non sua solum aetate sed & posteritati scriberet Moses. Ut igitur instantiam infringerem, libros sacros integros nominavi ἀνορύπτως, licet Θεωρεῦσθαι. De argumentis igitur meis, ut nunc, ex quo statum controversiæ à calumniis liberavi, *dispicimus, opus esse credas. Quasi vero rationes quasdam gravissimas dicere non liceret in argumento præcipuè philologico, etiamsi demonstrandi vi non polleant. Desiisses hoc in dubium vocare, si audivisses unquam, quem rigorem demonstratio indubia poscat. Tantum vero probabilitatis habent, quantum Tu illis denegas. Primum enim argumentum ex nomine יהוה petitur, secus ac existimas pro more Witteriano, ut ais, legitima consequuntione se defendere valet. Argumentare enim Elfwich! Orationes Salomonaa, inquit, eo haud dubie modo (iisdem verbis, hoc enim in quæstione est) enarrantur, quo à Salomone quondam fusa. Regero: Atqui ut contrarium evinceret, manibus pedibusque allaborabas, videlicet, potuisse diversos auctores rem narrantes eandem diversis uti Dei nominibus. Atque hoc est, quod ex conjecturâ nostrâ nuperâ defendo. Impingit g. consequentia Tua prima. Perge gravius argumentari: Rationes, quas Auctor præstitutas habet, nos sepe numero fugiunt, ut omne quod afferitur, modò in conjecturis habendum sit. Respondeo, sequor igitur rationem maximè probabilem, eamque meram conjecturam nuncupo. Desine nunc memet provocare, ut me virum præstem. Sum talis, Elfwich! nec vel latum ungvem de loco cedo. Instantiæ enim Tuæ, quod, ex quo ipse Moses scriberet, ordinariè quidem per omnem Pentateuchum יהוה אלהים iste conjungat, aliquando tamen alterutro seorsim utatur, regero, nusquam tamen per universum aliquid istius argumentum adeò sollicitè à *respectu* Mosem abstinere, quam in integrâ creationis historiâ, primis etiam secundi capitis versiculis usque ad insigne illud epiphonema suum Gen. II. 4. adeoque nihilominus conjecturam relinqui auctoris diverfi; præcipuè, cum præterea adsint rationes graviores eodem collineantes; ut tamen, secus ac de-*

nuo

nuo gratis sibilas, hypothesis illa nec rem ipsam, nec auctoris intentionem per omnia, quinimò nullibi, feriat. Quàm verò impotenter contrarias conjecturas Tuas, etiamsi reverà nullas, secus ac profiteris, obsrudas vel inde liquidum evadit, quòd aliter sentientem tantum non imposturæ postules. Hinc utrum *אלהים* à Chananeorum non impiâ gente sed dialecto derivandum sit, infra disputabitur. Piumne vero conatum an inutilem pruritus argumentum pro pluralitate personarum hinc ductum nuncupem, adhuc dubius hæreo. Pium conatum dicerem, si Antitrinitarium, eorundemque oculatissimorum impetum ferret. Quem cum non ferat, causam vero sanctissimam suspectam reddat, neque omninò sit *ναὶ τῶν τριῶν*, *pium* dicere vereor. Officit enim notissimus lingvæ sacræ idiotismus. Hunc vero ut proscribas, axiomata quædam cumulas, eaqve ut in timore Domini expendam desideras. Respondeo igitur satis religioso affectu ad primum, omne nomen plurale inferre pluralitatem limitando & distingvendo inter nomina, quæ meram formam habent pluralem, & illa, quæ in formâ plurali pluraliter quoque usurpantur. Hæc si intelligas, concedo, nego, si illa. Ad secundum, *אלהים* b.l. Deum significare, concedendo. Ad tertium de Deo non esse judicandum ex idiotismis, sed ex locis, in quibus clarius se manifestaris, pariter concedendo, simulac tamen concludendo, faceret igitur & ad ipsam mentem Tuam parùm appositè è notissimo hoc idiotismo personarum pluralitatem colligi. Ad quartum, illud pariter affirmando, Deum videlicet alibi se revelasse ut trinum in personis: quæstioni verò, annon ergo de formâ plurali *אלהים* ex illis, quæ disertè Deum trinum profitentur, locis judicandū sit negativè respondendo; cum, quod clariora illa loca Mosis ætas ignoraverit, tum præcipuè, quod nec illa hanc conclusionem Tuam suppeditent, *אלהים* inferre pluralitatem personarum. Cæterum, utrum illud Deo *τῶν τριῶν* competat, diversâ quæstio est, quam interferis. Quod si subiectorum, quibus illud tribuitur potestatem, excellentiam & auctoritatem disparē attendas, concedo, & totidem verbis in ipso Commentario sum factus. Siquidem solam vocis significationem &

& originem attendas, nego. Denotat enim illa propriè *colendum*, quale prædicatum, si, *quod dixi*, solum vocis sonum proprietatemque attendas, pluribus in eâdem hâc significatione tribui potest; non aliter ac *judicis* nomen & Deo & Imperatori & Imperii Principi & cuivis alii, *qui judicandi auctoritate pollet*; cum vox illa merum hunc conceptum ubivis inferat. Aliena verò simulac inconsiderata quæstio Tua, *num ergo veneratio, quæ Deo & hominibus debetur, tanquam species de uno genere prædicari possit?* Primum enim in præcepta Logica turpiter impingis, dum *ut species de uno genere prædicari possit* urges. Parcerem vero hîc Claritati Tuæ, nisi, si parcerem, metuendum esset, ut absurdissimâ æque ac imperitissimâ hâc quæstione Tua denuo gravis molestusque nobis existeres. Unde, cum à Logicorum vel mero auditu vapulet, qui desideret, *speciem de uno genere prædicari debere*, penites ipse, bone Homere, ecquam graviter hic dormitaveris, ecquid vel tyro de barbarâ hâc phrasi Tuâ judicaturus fiet! Quærere enim debuisses, *num veneratio de Deo & hominibus, tanquam subjectis vel inferioribus suis prædicari possit?* Quinimò ex mente nostrâ quærere debuisses, *utrum conceptus, quem nativus vocis sensus infert, videlicet COLENDI, de utroquo & Deo & homine prædicari queat?* Quid si vero hoc affirmaverim, ergone sequetur, *vel homines ad Deitatis, vel Deum ad hominum referri classem* Insuper: Doctum esse prædicari posse de Te & Theologo Tuo admittes. Ergone sequitur, ceu ad analogiam pseudo-consequentiarum Tuarum sequi debebat, vel Te ad Theologorum vel Theologos ad Theologia Candidatorum classem referri. Prædicationes enim univocæ significationis, non subjectorum identitatem inferunt. Talem verò significationis amplitudinem prædicata fortuntur, qualem subjecta admittunt; nisi omne *quod magis & minus*, Logicorum phrasi, *recipit*, prorsus ab univocorum naturâ proscripseris, quod est, fornacem æquè calidum ac solem dixeris, vel nivem cygnum evadere concesseris, propterea, quod illis caliditatis, his albedinis prædicatum in eâdem significatione comperat. Atque ut istas imperitas nœnias Tuas sub prædica-

men-

mento imperitia *Elfvichiana* colligere pergo, ita, ut mentem nostram impietatis accusare queas, noli concludere, quod sic sententiam quorundam ecclesie Doctorum contrariam adversariorum irrisioni exponam: exponunt enim ipsi, dum adeo incongruè, cum graviora non deficient argumenta, Tecum argumentantur. Nec quære perge, num hostis orthodoxia abjectius sentire possit? Potest enim & verè abjectius sentit, dum non solam invaliditatem hujus argumenti sed in universum Trinitatem sacratissimam negat. Nec denuo quære, qui commode Deus אלהים nuncupari potuerit, siquidem illud propriè euidam præterquam Deo competat? Respondeo enim, propterea quod nomen illud Dei extiterit usitatissimum. Tribuatur igitur Θεος Græcorum reliquis præter Deum, saltem λεγομενος: Tribuatur ita & אלהים, si vocis usum spectes, quò Deum ipsum exprimit; modò idem illud, si vocis origo & verbalis significatio attendatur, in conceptu nativo colendi & iis tribui concedas, de quibus prædicatur, singulis. Axiomata igitur Tua cum rem, non dicam acu, sed ne furcâ quidem tangant, aggredere nunc, si vir es, ipsum idiotismum. Nomen verò mysticum, quod est, ex præjudicio Tuo, Trinitatem involvens feliciori metaphorâ hominibus tribui nequit, ac ipsum Triados elogium, cum deficiat utrobivis tertium comparationis. Hinc etiam si *Smidianos manes* venerer, autoritate tamen istius solâ in re apertissimâ non moveor. Grammaticas vero observationes fatis imperitè applicas. Ecquomodo enim *perpetuo* & nominum אב, אח, & חם & פה quinimò ש & particulaרם & nominum אב, אח, ער, על, אל, & בעל, qui ubivis, ceu liceret ad simillimum motum ארון & ארון & ארון, ceu in confessio est Grammaticis, regularis? Nec binæ ac solæ particulae אב & חם modo singularium modo pluralium suffixis onusta illorum ordinarium motum infringunt. Adeo igitur observata Tua ne cassâ nuce quidem digna, licet sic satis responsum esse opineris celebratissimo idiotismo sacro. Multum autem frigidior altera *αριστος*, quâ, ut præjudicio Tuo porro servias, in phrasi sacrâ ארנים קשה & illud substantivum, & hoc vices con-

*fructu fastinere, nullâ prorsus necessitate sic jubente, promulgas, locis pro causâ Tuâ allegatis nec parallelis, nec vel ad speciem *αγοριαν* colorantibus. E quibus singulis uti satis valide colligo, Te prorsus nihil vel allegasse quidem, nisi quod in principio est, perat ita, quando porro regeris, *Mosem utrumque Dei nomen in capite secundo conjungere*, statum controversiæ non feris; cum largiamur, istic, finito *τὸ δινα* sacro poemate, ipsum Mosem scripserit. Qui verò non æque *תורה*, etiamsi *Dei essentiam* exprimat, ac *אלהים* *origini creaturarû* quadraffer, utpote ex istius solâ virtute ipsam suam essentiam assequutarum? Cum igitur firmo adhuc talo nitatur argumentum *primum*, ad *secundum* è *styli diversitate* desumptum nihil regeris, nisi quod illam percipere non valeas, etiamsi notatam in *Comment. cap. 1. §§. 22. 30. 32. 33.**

Unde, cum existimare non desistam, & *simpliciter dicentem* in oratione suâ modos & characteres quosdam suppeditare posse, quibus dictio sua ab alterius stylo discernatur, facetias quidem Tuas, quas in contrarium garris, non moror amplius: moror verò ad *tertium* ex ipsius contextus *συνοψισ* depromptum, idemque *gravissimum*, argumentum responsa Tua, sic omninò comparata, ut minus nihilo respondeant, nec, quod confido, regerere quicquam amplius valuerint, præter facetam quandam instantiam, quod *semi-genealogia* in *cap. X. fusius, sparsius* in *cap. XI. recensatur*. In quâ instantiâ Tuâ refellendâ forem prolixior, nisi quapropter ex universâ familiâ Noachi in capite X. enarratâ, quædam solum familiarum capita seorsim enumeraverit Moses *Cap. XI.* is ipse indicaret, ut videlicet doceret, per quos à Noacho Abramus descenderit, quomodo adeo in *Palæstinam* jura Semo quondam dedicata in Abramum fuerint derivata.

In *V. observatione* Guffetii *judicio pueriliter præcipi* comminari, & denuo sine præmissis concludendo prolixè garrere pergis. Unde, cum opinionem Tuam *pietati convenientiorem, maximi momenti, in quo divinus versetur honos, contra hypothesein nostram periculosam, ecclesia Ministro indignam, hostibus patrocinantem solum supponas*, tempus quidem & chartam perdis, *judicium vero puerilè.*

viliter preceps (cape Tibi hoc vicissim Elfwich!) prodis. Hinc cum certum sit, nomen אלהים prater Deum creaturæ & idolis tribui, nec minus denuò appareat per superiora, idioma Hebraeum esse avitum Chanaanorum, colligo, Hebræos ut omnes hujus lingvæ voces, phrasés, ita & illam dictionē usurpassè, quâ τοσβασμια expresserant: eundemque adeò istius conceptum ubivis servari, five ex mente Spiritus Sancti vero Deo, ac magistratui, five ex mente idololatrarum Diis tribuatur. In eâdem enim significatione idem prædicatum alii vere, alii falso tribui posse quis negaverit? Nulla vero consequutio Tua, quod sic Deus nomen ab idolis mutuatius esse videatur, cum solum sequatur, Patriarchas Chanaanorum idioma usurpantes conceptum venerandi Diis quondam falso dedicatum, dein uni Deo tribuere cœpissè. Ab analogiâ vero Græca linguæ ad similem Hebræa facete argumentaris, cum liquidum sit, quamvis linguam certis quibusdam idiotismis suis distingui. Quinimò & ipse, ut vanitatem instantiæ Tuæ videas, Tecum quæram: Num Apostoli lingua utentes, Græcis familiaris, usquam in plurali numero verum Deum, licet trinum, appellarunt Deos? Non puto. Atque non solum par erat ratio, dum nec nomen fecus plurali destituitur, ut ob ejus defectum singularis fuerit admitterendus, sed omninò gravior ratio, quod videlicet Triados mysterium in N.T. luculentissimè revelatum fuerit, secus ac in V.T. Quicquid responderis, sufficiet illud incongruæ quæstioni Tuæ refellendæ. Et sanè si mera pluralis forma pluralitatem personarum inferret, qui diceret scriptura Jud. VI. 31. אלהים הוא ירר לו. si Dii Baal est, litiget pro se ipso. Sermo enim est de Baal idolo, ubi mysterium pluralitatis personarum in unâ essentiâ nec locum habere potest, nec ipsi prætendunt idololatra; ceu eleganter judicat Philologorum nostratium princeps, ac insignis Jenensium Theologus, Danzius, hospes ac præceptor noster quondam mellitissimus in Interpr. Sacr. p. 13. Cæterum, quæ ad reliqua argumenta Tua attuli, cum geminum metum Tuum vel polytheismi vel falsi cultus sic prodigaverint, ut ne hiscere quidem audeas, perquam facete illa levioris momenti esse promulgas. Adeo enim

enim gravis sunt ponderis, ut jam ardeat domus Tua, nec habeas, quo illam extinguere possis, ex quo imprudenter ipse facem admo-
veras. Hinc, cum tantummodo quærat, an Chananæi Deos suos quondam dixerint אלהים, non itidem, an primi; noli demirari, quod ad postremum taceam, cum hypothesin non feriat, nec inde morem quendam nostrum vituperabilem colligere; ne vel pueri literarum gnari Temet mendacii postulent. Restat igitur de nominibus Phœnicum Diis dedicatis quædam instantia Tua. In quâ licet mirifice Tibi perplacitas, irrisione tamen potius quam castigatione dignus videris, dum incautè aliud nobis suppeditas argumentum, quo stabiliamus hypothesin, ex quo Hebræum ערין ex Phœnicum dialecto ipse derivas. Tantopere vero ineptire defuisses, ut ex eo, quod isti Deastros dixerint ערין, colligeres, non item nuncupasse אלהים, si tritum illud Tuum in memoriam revocasses; Vnius positio non est alterius exclusio. Sic utrum ελιος vel ελιος ad analogiam אלהים an ערין magis accedat, in medio positum est, & Sanchuniaton illud per οψισορ explicare valuit, ut indigaret Deum supremum, etiamsi nativam vocis originem ac significationem non attenderit. In quam vero partem propendere velis, mihi perinde, cum neutra hypothesin labefactet, utraque locumpletet.

In VI. observatione primum aggredieris nativum ac proprium vocis רוּח significatum. Hunc vento competere affirmo. Unde, cum modo non de valore latini spiritus, sed Hebræi רוּח sermo sit, ut acumen, quare sic distingvam, videas, nec regulas Tuas hermeneuticas curo, utpote nullibi expressas, nec defectus ipsius verbi רוּח Revach, in scripturâ s. evincit contrarium; cum saltem nec in isto, quem nativum & proprium mavis, sensu deprehendatur. Utri igitur, five vento five spiritui nativa eaque sic propria significatio primum tributa fuerit, in quæstione est. Unde, licet æternam Spiritus Sancti spirationem in sensu isti congruo propriam, simulac tamen ἀποκλήσει αὐτῆς πνεύματος, admittam, nondum tamen concoquere valeo, qui divinâ quædam, mysteriosâ & spirituali notione, si illa prima & nativa

רַחַם foret, ut ventum denotaret, usus fuerit Sanctus Spiritus? etiam si percipere valeam, quod verbis ex usu humano desumptis aeterna operum ad intra mysteria explicare nobis ac adumbrare voluerit. Hinc, quæ vel de aliorum in sacrosanctam Trinitatem injuriis, vel de ἀπορωμασίας aut συυαλγίας vero usu narras, supervacanea sunt, nec controversiam tangunt. Tangere verò videri posset instantia, quod voluntas similiter tribuatur & spiritalibus essentiis, & materiali vento. Verum dispar est ratio. Primum enim extra dubium est, voluntatis conceptum in sensu nativo essentiis rationalibus competere: controvertitur verò, utri nativa רַחַם notio competat, vento an spiritui? Deinde ab analogia meræ prosopopoiæ ad analogiam ipsius denominationis invalidè argumentaris, nec ferit instantia, quod quedam spiritalis notio per prosopopoiiam rei corporea tribuatur; cum probandum fuerit, illam ipsum rei materialis nomen alicubi suppeditasse. Æque inconsiderate à consequentiâ ex operibus mundi ad Dei ἀορατὰ concludente ad præjudicium Tunm, quò prorsus è diametro notiones divinas & spirituales res corporeas denominare asseveras argumentaris. Nihil igitur attulisti, quod propriam venti significationem infringas. Hinc cum insuper quæras, annon רוּחַ אלהים, quam primum auditur, significet spiritum Dei, denuo principium petis, quod est in quæstione; etiam si non negaverim illum toties denotari, quoties nimirum talia deprehendimus prædicata, quæ à nativo vocis valore nos discedere jubent, nec vento competunt. Et quamvis idiotismum, quò res nomini divino juncta superlativum induit, admittere nolis, nisi demonstratur: demonstravit tamen illum dudum & prolixè Glassius Gram. S. tr. 1. l. 3. p. 421. Sive vero Judæi ad Grammaticas aliorum linguam suam accommodaverint, sive ex lingua genio illas confecerint, neutrum idiotismum refellit. Genuina vero exegesis omnino attendis scriptoris idiotismos, & citra has sollicitudines nulla. Quare verò hæc modò, non item alienâ phrasi ventum expresserit Moyses, ut ostendam, non magis teneor quam quare non item aliâ Jon. l. 4. vel Jes. XL. 24. Laureolam g. in mustacco quæsvisti, ac inania κρησφύλα.

Instantiam verò è Theologorum scriniis defumtam miserè torques, ac vaniissimis calumniis maculas. Videbantur enim, qui contrariam hypothesin amplectuntur, præconceptæ opinionis eapropter maximè servire, quod sic actionem quandam spiritui S. dicatam perciperent, ut hinc argumentum ducerent pro singulari istius *υποστασει*. Hanc licet catholica fides devotè veneretur, ac ex disertissimis scripturæ suffragiis colligat, istam tamen consequentiam non æque firmam esse existimabam; ac illa quæ ex operibus ad intra & personalibus, vel & ex operibus ad extra non ab ecclesiâ solum, sed & passim ab ipsâ scripturâ uni personæ appropriatis ducitur. Aut enim actio aliqua cui-dam Deitatis personæ dedicata *est propria aut non est. Si non est,* nec procedit consequentia: *Si est,* vel personaliter vel per appropriationem est propria. *Neutro vero modo Spiritui S. propria est creatio.*

Ad necessitatem vero simplicioris sensus cum denuo gratis confugas, eandem porrò principii petitionem repetis, quærendo, *utra sententia sit simplicior, utrum nostra gyrum confingat, an cum Mose supponat, utrum tropicè an proprie iste loquatur?* Ita vero est, Elfwiche, circa inanissimum sophisma Tuum *τὰ ἐν ἀρχῇ* & hîc & ferè ubivis *saltandum nobis est ad tædium usque.* Ad rhombum tamen *nihil facit.* Unde, ut *quid in expositione Tuâ Deut. XXXII. ii. ceu postulas, desiderem, significem, accuso denuo petitionem principii, cum quærat, utrum excitatione pullosum ab aquilâ factâ deïn fiat incubitus annon potius volatus;* propterea quod diserte profiteatur Moses, *aquilam, ex quo excitaverat nidum, quod est, pullos minimum in nido jam delitescentes, non nido incubuisse* (quapropter excitatione non erat opus) *sed sese commovisse, quod est, ceu è vestigio additur, alas expandisse, pullos apprehendendo & in altum ducendo.* Quam verò è Matth. XXIII. 37. *conquirere studes similitudinem, talis non est, nisi & aquilam ibi nominari, & ררר per colligere interpretari, quod est, indubiæ veritati obicem ponere porrò malis.* Post hæc igitur, cum nunc relinquatur, *ררר motum aliquem vehementissimum significare,*

care, nec, *que satis luculenta sunt*, amplius moror, nec accentuum
suppetias: querelis verò Tuis, quod *Judai Musicum accentuum va-*
lorem ignorant, ex observatis celeberrimi Jablonski in præf. ad
 Biblia sua §.23. medelam applico. Nec negaverim, accentus
 plerumque *satis aptum fundere sonum*, qualem & Musicus concen-
 tus præcipuè anhelat, etiam si negem, ex illis validam conse-
 quentiam duci. Inanis autem *metus, sic pullos enecatum iri*, cum, ex
 quo expanderat alas aquila, jam excitaverit nidum, atque in
 adeo elevato situ illam collocaverit Moses, ut vitæ pullorum fa-
 tis parcatur. Quinimò enecasset illos, si non svaviter solum in-
 cubuisset, sed & *motu quodam*, quem concedis, pullos teneriores
 verberasset. De loco Jer. XXIII.9. *qua fufus exponas, non habere*
 Te admittis, ut simul plurimas instantias Tuas, quas modo
 præteris, repulsam tulisse largiaris. Quomodo vero *vatem divi-*
norem ex syriacæ gentio dixisse (etiam si & illa assertio nec micam
 rationis habeat) obrudas, contra hypothesin nostram satis con-
 firmatam, Patriarchas Chananaeorum dialectum cœpisse fari,
scandalosam dicas, ipse compares. Noli vero *gyrum tangere*,
 quem non intelligere Te etiam si quotidianum docuisti. *Ita enim*
Te agitabit, ut vertigine correptus non habeas, in quo pedem figas.
Quid relinquatur, quæris, fidei, si modum creationis ipse Moses enarret?
 Respondeo, tantundem, quantum ex ipsâ mente Tuâ, cum *mo-*
dum creationis Mosem filuisse vix dicere ausis, etiam si talem ad-
 mittere nolis, qualem è valore orationis suæ interpretamur.
 Eritne verò propterea creatio των βλεπομένων, quod eundem, qui
 conservatur, mundum primitus conditum esse profiteamur.
 Ergone vel conservatio mundi ita εκ των βλεπομένων, ut fides nihil
 relinquatur? Ergone, si idem non solum mundus, sed & eadem
 ejusdem vicissitudines & *Φαινόμενα* eadem, quæ conservantur,
 primitus condita, dicantur, fides proscibitur? Neque verò *Ber-*
nardi Connoris Evangelium, sed Mosi dictio modum creationis no-
 bis exposuit. Atque, inquis, *creatio est instantanea*. Est, si illam,
 quæ è *nihilo* contingit, intelligas si illam, quæ è *prædispositâ materiâ*,
 est successiva. Ergone, perges, *ratione actus*? Quinimò! defi-
 ciunt,

ciunt, regeris, *ecclesia nostra Theologi*. Deficiunt? miror quod
 deficient, cum non deficiat Moses, *fruticum deficientiam defectus
 pluvia tribuens, productionem herbarum terra, piscium aquis, animalium
 brutorum terra dedicans, adeoq; secundas causas subinuens: neque
 tamen ita deficiunt, ut sic sentientem Tecum criminis postulent.*
 Nec magis *creatio operosa, propterea quod successiva, ac conser-
 vatio, propterea quod quotidiana.* Non minori enim virtuti
 divinæ conservationem tribuendam esse concedes, ac creatio-
 nem, cum *conservatio nihil aliud sit ac rerum creaturarum ad quodvis
 momentum nova statio.* Dicat igitur Psalter: *Dixit & facta sunt.*
 Dicas quid malis, successivè an instantaneè. Hoc procul dubio.
 Atque sic est: Etenim *unico temporis momento è nihilo conditum
 est hoc universum & instantaneè.* Quod vero *opus hexaemeri succes-
 sivè* creaverit Deus, loquitur Moses, quod *ratione actus, idem.*
 Unde, cum Deus singula *καταχρονία, ὡς ἓως* eodem illo momento
 sic quoque formare potuerit, ut formavit intra sextiduum: no-
 luit tamen, maluit verò Hexaemeri opus. Quæ cum, Clarita-
 tis Tuæ iudicio, *videantur aliquam habere obscuritatem, multum
 obscuriora reddis, dum quadam & s. verba conjungenda esse cum
 precedentis versu עשות* promulgas. Ut enim ita connecterem, im-
 pediebat eadem Mosis phrasis in *epiphonemate creationis Gen. II. 4.
 æquè adhibita ac in exordio ejusdem Gen. I. 1.* (quâ *universum ita
 conditum vel condendum nuncupat ארץ ואת השמים ואת* fruti-
 cum memoriâ capropter modò non oneranda: impediebat,
 quod non appareret, quare solum *fruticum ac herbarum, non
 item similiter reliquarum creaturarū memoriâ seorsim inje-
 cerit: impediebat facilius ac magis congrua verborum exege-
 sis è nativâ illorum significatione & συναφεια* contextus compa-
 randa. Hinc cum minimùm postulata Tua instantiam non fe-
 riant, *circa τὴ δὲνα* quedam *uberioris τῆς ἐπιφρονέως* Mosaica, nec pleo-
 nasium τὴ hic admittamus (secus ac profiteris) miserrima col-
 lectio Tua existit, quâ ex mero hoc termino medio, quod *τὴ
 ubi vis virtutem habeat negandi saltem implicitam* (quam largimur)
 concludis, *illam particulam negare causas secundas, ac Deum imme-
 dia-*

diatum creatorem inferre. Idem vero in capite jamtum primo circa universam creationis historiam, ex sententiâ Tuâ dixerat Moses, ut propterea sola herbarum memoria iterari non debuerit. Unde cum *mentionem herbarum* propterea *repeti* largiaris, ut *ex defectu pluviae pro earundem origine & genesi argumentaretur*, nonne facilis consequentia, pluviam *causa secunda* loco habendam esse? Quid efficis, dum concludis, ita *ne quidem ante homines herbas existisse*, propterea quod illorum creatio jamtum memoretur cap. 1. ? Hoc, ut ex eodem argumenti medio concedas, *vaporem & pluviam* §. 6. ad ipsum *hexaëmeron spectare*, adeoque *causa secunda* instar habendam esse, propterea quod similiter & quidem è vestigio *hominum genesis denuo memoretur*. Adeo vero turpiter Tibi contradicis, dum *causas secundas in hexaëmeri historiâ negas*, & tamen admittis, *vapores plantas conditas conservasse, nondum condito sole*: dum hoc tandem existente concludis, *Deum demum pluviam immittere potuisse*; etiamsi religiosius ex ipso præjudicio dixisses, *IMMISISSE*. Unde, si *lux primigenia pluviam excitare non valuit*, quemadmodum profiteris, imperitiam physicam denuo dividendas, dum nihilominus admittis pluvias, congruo calore suo destitutas, plantas conservasse. Sed ad *consequentiam à condito mundo ad condendum propero*. Ad rem enim *magnopere facis*, ut *gyrus*, ceu *causa secunda* è virtute *causæ primæ* indefinenter agens & orbem sustentans dicatur orbi creato primitus impressus. Quem ut ex imperitiâ istâc Tuâ plus quam rusticâ perimas, etiamsi, si tolleres, *cælum rueret* & Te ageret præcipitem, quò milites non video, nisi merâ inter *potentiam Dei absolutam & ordinatam distinctione*. Potentiâ g. dicam *absolutâ* Deum hoc universum creasse & è *nihilo*, simulac *מרחפת רוח אלהים* *gyrum vehementissimè sese commoventem* massæ rudi & inertis impressisse: *ordinatâ* verò, quod est, cum *causis secundis* concurrente singulas species primitus formasse, hodie vero conservare, quo omnis exspiret metus, omnis suspendatur è desinentiâ gyri hujus universi ruina. Hinc *proprie creatio* significat *illam, quæ è nihilo NEGATIVO, non*

E

aque

aque propriè illam, quæ è prædispositâ materiâ, quò sic filus apologiæ Tuæ prorsus abrumpatur, nec *verba* vel *dare* vel *caprare* videamur. Cum igitur *divine quietis* sensum genuinum admittas, vel inde quæso percipias, quare Deus *die statim primo nequiveris dici quiescisse*, videlicet, quod *creaturas novas condere* nondum desisses. Desit verò, adeoque è scripturæ metaphorâ *quiescit, post finitum hexaemerum*. Unde cum propterea eodem modo Deum providum creare dici nequeat, etiamsi causis secundis impertiat fluxum, uti in hexaemero prædispositæ materiæ; neq; *conservatio* vere aliud sit ac *rerum creaturarum continua statio*, atque, ut ita loquar, *quadam veluti ad singulum momentum recreatio*, etiamsi verissimum hoc discrimen intercedat, quod in hexaemero è rudi materiâ rerum singularum formam produxerit, modò hanc conditam solùm conservet, satis explosæ sunt instantiæ Tuæ singulæ. *Otiosum tamen Deum hexaemeri spectatorem* noningas, nisi & hodie otiosum Numen invecundè & irregionissimè veneris. Ergone Deus ante mundum conditum otiosus? Ergone solum in hexaemero efficax, vel, ex eadem metaphorâ divinâ, laboriosus ac agens? Ab Augustini iudicio & ferulâ, quam irreligiosum quoddam Dei otium ante conditum mundum stupentibus infligit, hic vapules. Epicurus vero licet non negaverit Deos, negavit tamen creatorem hujus universi, Deum meumque Tuumque. Hinc quemadmodum prætereo sequelas quascunque, quales, ex hypothesi nostra vel mimus vel anus proferret, quales minaris: nec legitimas vel tanta Tua Claritas inferre valuerit: ita calumniatorem Te non dicerem, nisi, ut denuo dicerem, calumniâ Tua imperaret, quod ita mundum solis natura *conservari existimemus, ut simul Deum negemus providum*; quamvis vel ipse Temet hîc mendacii postules, dum *divinam prædispositam materiam*, ut ex illâ instar causæ secundæ ageret *impresam* potentiam per integrum hoc folium Tuum profligare inconsiderate studuisti. Tot nænias Tuas, Elfwiche! Tot calumnias Tuas, Vir Clarissime!

Hæc

* * * * *

Hæc enim sunt, quæ ad cavillationes & criminationes Tuas, ex omine tituli Tui, respondere debui. In Epitologo veterem sumis personam, & non modo cum insigni mentis appasia familiaria Tua bruta fulmina, sed & Φιλανθρον, animamque rursus & arrogantem ita prodia, ut modestiam ac mansuetudinem in præfamine anhelans exstiteris calumniator dirissimus, simulac apologeta infelicissimus. Unde, ne memoria imbecillitatem prætendas, ac voces Tuas, quæ quidem dignissima sunt, oblivioni, antequam sic illas receperis, des, illas diversis typis imprimendas Typographo commisi, simulac, ut serio confidas, rogans, tantundem Te propediem recepturum fore, quantum communicaveris, verba puta Tua singula, nec, nisi ubi in veritatem impingunt, modificata. Siquidem igitur in Te inclementius quicquam dictum esse existimes, sic existimato responsum esse ac dictum erat. Boatibus verò ac latratibus Tuis non magis ferior ac Luna canis. Quid ille? mutuatissimum lumen allatrat, quod percipit ac videt. Tollatur in novilunio illud, & canis tacet, nec tamen luna desinit existere. Mutuatissimum igitur lumen nostrum cum æque grati ac Luna suum motu luminisque vel incremento vel decremento Soli acceptum fert, tribuamus ipsi ubivis suo auctori, illudque ut vel isti sibi vindicent, vel Tu illis largiamur, Tu quidem cardinale, nostrum argumentum uti hæcenus ita porrò allatrare desistes, jura Israelitarum in Palestinam post tot latratu Tuos adhuc integra & intacta mutuatissimum vero ut Lune ita nostrum lumen ex ignorantia Tuâ suprà castigatâ allatrare perges. Mihi igitur, quæ de canibus vehementissimè latrantibus, licet irrationalibus, παρομοια narrat, in tempestivè exprobrasti, cum, dum exprobras, Tibi scribas. Ita vero Te Deus non servet, corrigat potius mores in tyrone quàm Tantâ Claritate tolerabiliores, atque, ne adeo præcipiti in Theologi Tui quavis elogia fascinatione irruaris, ne ex hypothesibus

adiaphoris virtutes Pastore Lutheranò dignas facete colligere, quod est, *av* *αδίστα* Tuam *mutuatio* eoque hinc illinc compilato lumine ad speciem infucata, in orthodoxiam amorem, & vel Theologiæ Candidato solum dignam *humilitatem*, profiteri pergas, prohibeat! *Quod utrumque fiet, si animum modo à gente Tuo ἀπελπιστοῦ* *αὐτῶν* paulisper revocaveris. Ita vero Te demum Deus servet, ut ex voto valeas! Dabamus Hildesiæ X. Calendarum Julii clō Io cccxiii.

P.S. Reddebatur apologia Tua à Bibliopolâ pridie
Calend. Junii.



Errata Typographi, præcipuè p. 16. ubi pro *persuasione* impreffit *opinionem*, & alicubi verba *θεοπροψια*, *συγκαταβασις*, *plumbet*; *analogia* ac aliâ mendosè expressâ B.L. excusabit facile!

Aug VI 15



Sb.

Reho
VD 17
KD 18 1







23

24

HENNINGUS BERNHARDUS

*M*itter/

AD D. GEORGII IN PATRIA
PASTOR,
Secundùm

S. D. P.

JOH. HERMANN O

AB

ELSWICH,

CENSURÆ SUÆ SUPERÆ
ET PROLETARIÆ ET
FACETÆ

APOLOGETÆ DENUO FACETO!

HILDESIE, TYPIS GEISMARIANIS clb lcccii.

